QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. FEBRVARII, CLARISSIMO VIRO [illegible] CLAVDIO BAILLY, DOCTORE MEDICO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An mas celerius, fœmina tardius, conformatur?

MVLIER *multis partibus viro frigidior, densioreque corporis habitu, sanguinis ideo copiosioris particeps, fere sola ex omni animantium genere uterum gerens marem appetit, eúmque admittit: quod sanè maximum est libidinis indicium. Hæc licet semen, ex sanguine in vena caua contento, vi testium genitum, non iners, sed efficiendi vi præditum, in sui vteri (qui sta conceptu exactè clauditur, superfœtationem non patitur) capacitatem per cornua emittat, magis tamen patiendi, vt vir agendi rationem obtinet. hinc vterus, concipiendi continendíque fœtus organum conuenientissimum, duobus tantum sinibus (quorum dexter maribus, sinister fœminis gignendis magis est accommodatus) distinctus, ei à natura datus est.*

HIC *si fœcundus sit, virile semen, cuius ut & muliebris excretio ad sanitatem necessaria est, in [illegible] ceruicem collúmque iniectum, statim auidissimè rapit, & cum fœmineo probè permixtum, propria vi ad agendum exuscitat. Primis ita [illegible] in inuolutura generantur. Harum prima & extima chorion, dura & valida, ex crassiore virilis seminis portione ortum habens. S[illegible] fasciæq; latæ figuram referens, ex vracho, cui ex muliebri serosioréque semine origo est, prodiens, & ab eo vrinam excipiens. Tertia [illegible] fœtui contigua, eum vndiquaque, vt & prima, ambiens, ex crassiore semine quàm allantoeides, genita, & proinde ea validior & robustior.*

CONFORMATRIX *facultas licet vniuersim in omnes partes vires suas exerat, & exerceat, aliæ tamen aliis prius genitæ apparent. Ac primùm quidem se prodit vmbilicus: tum deinceps reliquæ venæ, & arteriæ, vnáque cum his hepatis cordis [illegible] sa substantia: [illegible] remo loco cerebrum, eiusque soboles medulla spinalis. ab eodem omnes nerui tum sensui tum motui dicati: meninges duæ, à quibus solis sensus, [illegible] & tunicæ omnes. OEsophagus, ventriculus, intestina, vesica, ossa, cartilagines, non ex aliis partibus, sed ex propria sibiq; conueniente seminis portione ducunt originem. Ab ossibus quædam prodeunt ligamenta, sensus vt ossa expertia: quædam ex membranis, sentiendi vi prædita. Musculorum fibræ partim ex neruis, partim ex ligamentis conflantur, harumq; extrema aponeuroses efficiunt. His omnibus cutis ex impuriore semine, naturæ vi ad extima pulso, [illegible] concreto, adnascitur.*

TVM *verò conformatis spermaticis solidísque partibus, sanguis menstruus, sua natura benignus & laudabilis, ex vteri vasis, quibus quæ in chorio sunt respondent, per venas vmbilicales affluens, crassior quidem carnosam hepatis substantiam (quanquam ea multo antè inchoata apparet) constituit: calidior [illegible] tenuior, per arterias circa cordis spermaticas fibras concrescens, eius partem quæ carnea & rubra cernitur efficit. Perfecto hepate, sanguinis humorúmque [illegible] thore & opifice, fœtus nutriri incipit, sensímq; natura capacitates, quæ inanes inter spermaticas musculorum fibras interciderant, carne (quæ vt adeps calore concrescit) adimplet.*

FOETVS *mediis cotyledonibus, quas in grauidis recensq; enixis videre licet, vtero firmissimè alligatus, quandiu in eo est, per solum vmbilicum sanguinē ad sui alimoniam, aërem ad caloris ventilationem trahens, non omnis pari temporis spatio conformatur & perficitur: sed quidam celerius, quidam tardius, pro naturæ robore vel imbecillitate: mas quidem calidior sicciórque breuius integræ conformationis tempus requirit: fœmina verò, ex qua marem fieri fabulosum est, cùm frigidior & humidior sit, maioris temporis vsuram ad sui perfectionem integrámque conformationem exigit & postulat. hinc accidit vt mares tertio, fœminæ quarto demū mense (quanquam neque expressæ formationis, neque motionis, vnum idemq; omnibus præfinitum tempus est) in vtero moueantur.*

Ergo celerius mas, tardius fœmina perficitur.

PONEBAT CLAVDIVS BAZIN LVTETIANVS, AN. DO. M. D. LXIX.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI,

[illegible]s Faber.	M. Gulielmus Cappel.	M. Symon Pietre.
[illegible]ael Marescot.	M. Nicolaus le Gros.	M. Nicolaus Iacquart.
[illegible]libertus Laudenot.	M. Gulielmus de la Barre.	M. Robertus Greaulme.